

## ADNOTATIONES IN POETAS LATINOS MINORES

Quae superiore anno inter legendum subierant, iudicio virorum doctorum existimanda proponere statui, Latina, quae per tot saecula in disputationibus criticis sola regnaverat, lingua usus, ne utilissimae exercitationis oblatam facultatem temere praetermitterem<sup>1)</sup>.

### I. Grattiana

De prooemio Cyneticorum Grattii Falisci ante aliquot annos Io. Herterus in hoc Museo<sup>2)</sup> tractatum proposuit non minore doctrina quam Latini sermonis elegantia insignem. Qui inter tam multa praeclare observata unum mihi parum persuasit, cum statuit<sup>3)</sup> primam vocem versus septimi decimi, quae in unico fonte Vindobonensi (*A*) hanc corruptam formam induit: *centem*, ita rescribendam esse, ut factum videmus in Thuaneo, qui ex illo derivatus est, codice: *centum*, quam scripturam,

1) Invideo philologis linguarum recentium studiosis, quibus potestas est cum hominibus earum gentium, quarum linguas ipsi docent, colloquendi ab eis impetrandi, ut suum loquendi usum emendent. Quorum nemo non fatetur hanc exercitationem summo usui esse etiam ad litteras harum nationum rectius interpretandas. Hoc quoniam nobis, qui litteris veterum studemus, non licet, secundo saltem tanquam gradu exercitationis ut utamur, forsitan admonendi sumus: nam tum quoque ad rectius intellegendas aestimandasque eas litteras, quas docendas nobis civitas mandavit, non dubito quin aliquantum proficiamus, si eam, quae antiquis praesto fuerit, et sententiarum et verborum copiam interdum ita experiamur, ut ipsi de eis rebus, quae idoneae sint, aliquid Latine conscribamus. Humaniter autem accidit, ut id diligentius facere soleamus, cum scripta nostra in publicum edituri simus: tum enim vel invitos tanquam in certamen nos prodire sentimus cum illis multis et doctis viris, qui praeteritis temporibus cum alibi tum in Germania stili Latini elegantias multa cum laude excoluerunt. Hoc si forte plures facere velint, tum autem ii quoque, qui illorum vel nostris opinionibus repugnare cupiant, Latinae se disputationi accommodare ipsi non recusent, nescio an id, quod velut per litteras colloquium vocaverim, cum summo horum studiorum commodo institui et propagari possit.

2) Io. Herter, Grattianum, huius Mus. 78 (1929) 361 sqq.

3) p. 366.

cum antea vulgo obtinuisset<sup>4)</sup>, ab Hauptio<sup>5)</sup> Vollmeroque<sup>6)</sup> expulsam nuper revocaverat Enkius<sup>7)</sup>. Sic igitur locum, de quo agitur, et Enkius et Herterus legi voluit:

16 *Adscivere tuo comites sub nomine divae  
centum: omnes nemorum, umentes de fontibus omnes  
Naides, et Latii . . . Faunus . . . . .  
Maenaliusque puer domitrixque Idaea leonum etc.*

Quamquam Herterus ut verba ab Enkio constituta probavit, ita interpretationi eiusdem oblocutus est. Nam sua mutatis verbis sic reddiderat Enkius: „Divae, quae sub tuo nomine sunt, Diana,“ — ad hanc enim verba fiunt — „centum ascivere comites“; quos comites versibus insequentibus enumerari putabat, recepto in versu 18 Vollmeri<sup>8)</sup> supplemento quod est *Latii* <Satyri> *Faunus* <que subibant><sup>9)</sup>. Itaque fiebat, ut Enkio auctore Diana artem venandi nescioquas *divas*, eae porro suos *comites*, qui ipsi quoque di deaque essent, eandem artem docuissent. Qua sententia merito explosa Herterus sic pergit: „*Comites*, qui adsciti sunt, homines esse puto in divinam consuetudinem receptos (cf. v. 125), *divas* autem illas *centum* (i. e. plurimas), quae eos adscivere, v. 17 s. nominari apertum: sunt videlicet ‘Nymphae’, quas *tuo sub nomine*, i. e. Dianae asseclas fuisse inter omnes constat“. Igitur iam is ordo doctrinae propagatae evadit, si modo Hertero fidem habemus, ut Diana nymphae, nymphae porro *comites* suos mortales docuerint. Nec vituperare debeo, quod Herterus, ut homines cum dis quondam venari solitos esse probaret, ad versum 125 provocavit, etsi huius loci interpretationem a Vollmero propositam, ab Enkio receptam dubitationis expertem haud iudicaverim; nam Hippolytus in Phaedra eiusmodi *comitem* ipse se significat<sup>10)</sup>.

4) Velut apud Petrum Burmannum, Poet. Lat. min. (Leydae 1731), Wernsdorfium, Poet. Lat. min. I (Altenburgi 1780), Sternium (Halis Sax. 1832), etiam Postgatum, Corp. poet. Lat. II (Londini 1900).

5) Ovidii Halientica, Gratii et Nemesiani Cynegetica ex rec. Maur. Hauptii, Lipsiae 1838.

6) Poet. Lat. min. . . rec. Frid. Vollmer, vol. II fasc. 1, Lipsiae 1911.

7) Gratti Cynegeticon quae supersunt . . . ed. P. J. Enk, Zutphaniae 1918.

8) Musée Belge 2 (1898) 231.

9) *Iuvabant* vel *favebant* mavult Herterus.

10) Sen. Phaedr. 54; praeterea consule Wernickium RE s. v. *Artemis* col. 1345, 42 sqq.

Sed aliud me movet, quod auctore Grattio<sup>11)</sup> ipsa Diana Dercylum Arcadem arte nova instituit, nullorum aliorum numinum mentione interiecta. Quod si quis me forte monere velit aliud esse *asciscere*, aliud docere, cum sibi fingat *ascisci* quidem, i. e. evocari ad opus venaticum et assumi in agmen Dianae, homines a nymphis, quas antea Diana ascivisset, solitos esse, magistram autem artis ipsam Dianam se et nymphis et mortalibus praebuisse, huic tam scrupulosae ratiocinationi fidem omnino denegarim. Accedit aliud. Herterus, dum in divinos *comites* ab Enkio informatos invehitur: „Quid“, inquit, „omnino hi versus ad hominum sortem, de qua Grattius hoc prooemio totoque carmine agit?“ Ego contra iudico: quid tandem sibi vult hominum mentio in hac quidem parte prooemii, ubi aut ego caecutio aut nihil aliud consilii Grattio propositum est, nisi ut praesidio divino munitum se opus suum exordiri significet? Qui una Diana *praeside*<sup>12)</sup> non contentus alia multa numina, *comites* discipulosque illius deae, de industria contraxit enumeravitque, scilicet, id quod iam diu intellectum est, ne pauciores di deaeque venatico operi favisse viderentur quam rustico, teste Vergilio in-prooemio primi Georgicon. In hoc plano perspicuoque sententiae tenore quid loci relinquatur hominibus commemorandis, prorsus non video eamque maximam interpretationis Enkianae virtutem duco, quod nulla mortalium ibi mentio intercedebat. Rursus alia difficultate Herterus implicatur, dum expedire vult, quae tandem illae *divae centum* sint. Nam licet praeclare se statim offerant (*divae omnes nemorum*, i. e. nymphae Dryades, quae centum sunt secundum Vergilium<sup>13)</sup>), et *umentes Naides*, quae ipsae quoque centum sunt auctore eodem Vergilio (quos tamen numeros argumenti loco premere nolo, ne ipse in crimen obscurae diligentiae incurrere videar), — at insequuntur multo minus idonea numina Faunus, Pan, rursus aptior Cybele, denique Silvanus. Qui scrupulus in nominibus deorum masculorum trium obvenit, eum ut eximeret, Hertero me quidem iudice non contigit, cum illud *et*, quod in versu 18 est, „paene ‘etiam’ valere“ contendit. Immo ratio postulat, ut ea discrepantia, quae est inter *divas* in versu 16 commemoratas et mares Faunum, Panem, Silvanum, dux nobis fiat ad verba poetae recuperanda. Nam apparet, si numina versuum qui sunt inde a 17 usque

<sup>11)</sup> v. 105 sqq.

<sup>12)</sup> v. 21.

<sup>13)</sup> Georg. IV 383.

ad 20 iam neque *comites* divarum esse possunt (id quod Enkius voluerat, Herterus refutavit) neque ipsae *divae*, vitii aliquid inesse versibus ita, ut supra exscripsi, constitutis. Nec satis est interpunctionem mutare, quamquam ea quoque pars est: nam sublato puncto duplici, quo primus Vollmerus sententiam ante vocem *omnes*<sup>14)</sup> admodum violenter dispescuerat, ea membra enuntiati, quae nemo antiquiorum editorum dubitaverat quin cohaerent, iam in suum commercium redeunt: *divae omnes nemorum*, i. e. omnes Dryades, quae agmen ducunt ceterorum numinum silvestrium. Quid autem haec numina ascivere? Non, opinor, *centum comites* (nam sic iam construenda esset oratio, siquidem *divae centum omnes*, quod Johnsonio<sup>15)</sup> placuisse video, absurdum est), neque divinos neque humanos, quorum neutros hic ferri posse iam supra vidimus; sed multo potius id, quod sub corrupta voce *centem* latet, sive is homo est sive res: nam res quoque *ascisci* posse, neque leges solum, quae propria huius vocabuli vis videtur fuisse, sed etiam „religionem, cultum, mores“ aliasque multas res et commodas et incommodas, Thesaurus linguae Latinae plurimis exemplis testatur<sup>16a)</sup>. Quod cum perspexisset, Hauptius *mentem* coniecturae loco proposuit, alia quoque novans, quae nunc mitto. Hoc *ascivere mentem*, quod Baehrensi<sup>16b)</sup> quoque placuit, quid proprie significare voluerit vir summus, haud facile perspicere Radermacher<sup>17)</sup> quivis concedet. Quam autem ipse Radermacherus huius versus formam commendavit, ea aliis difficultatibus obnoxia est<sup>18)</sup>; denique ea, quam Vollmerus, Radermacheri vestigia ex parte secutus, imprimi iussit (*divae gentem: omnes* etc.), ab Enki<sup>o</sup> recte castigata est. Mihi haec consideranti in mentem venit, quam saepe Grattius artis venatoriae scriptor *artis* vocabulum versibus suis inseruisset, id quod viros doctos minime fugit<sup>19)</sup>. In ipso prooemio non

14) v. 17.

15) Apud Burmannum: „full a hundred“.

16a) Thesaur. *ascisco* 765, 80 sqq.; 766. 4 sqq.

16b) Poet. Lat. min. rec. Aem. B a e h r e n s. vol. I. Lipsiae 1879.

17) L. Radermacher, *Varia*, huius Mus. 52 (1897) 627.18) Nam non modo illud *omnes* in *omnem* rescripsit, sed etiam, si modo eius mentem recte assecutus sum, nominativus *Naidēs* ei in *Naidas* mutandus erat. — Illud, quod praeter vocem *centem* sensu carentem alia quoque verba sollicitantur, cadit etiam in coniecturas H. S c h e n k e l i i, *Jahrb. f. class. Philol., Suppl.* 24 (1898) 421, et P. H. D a m s t e i. *Mnemos.* 53 (1925) 299.19) Schenkelius p. 438: „Grattius ist geradezu ein Fanatiker der τέχνη, er wird nicht müde das Wort *ars* anzubringen“: similiter Herterus p. 363.

minus quinquies hanc vocem variis casibus enuntiatam offendimus: vers. l. 8 (bis). 10. 23. Horum versuum nullus, ut ipsi numeri docent, a versu, quem tractamus, septimo decimo tam prope distat, ut ibi cum ulla veri specie ansa reprehendendae nostrae coniecturae quaeri possit, quam iam proferre audemus: illud *centem* rescribere in *artem*<sup>20)</sup>, nulla, ut supra dixi, post hanc vocem distinctione adhibita, et omnem difficultatem sublatam intelleges, cum haec sententia evadat: ‘Sub tuo nomine<sup>21)</sup>, ut tui comites, artem venandi asciverunt divae omnes nemorum (i. e. omnes Dryades), omnes umentes Naides, Faunus, Pan, Magna Mater, Silvanus’. Iam apparet me necessario dissentire a viris doctis supra commemoratis, qui lacuna versus duodevicesimi formam verbalem velut *subibant* vel *favebant* haustam esse suspicabantur. Ego aliud supplementum ad exemplum editionis Aldinae comminisci studui, quae habet *Latii* <*cultor qui*> *Faunus* <*amoeni*>, ita tamen, ut non neglegerem, quod in codice *A* „inter *latii* et *faunus* spatium trium fere litterarum“ patere Vollmerus in adnotatione docuit:

16 *Adscivere tuo cōmites sub nomine divae  
artem omnes nemorum, umentes de fontibus omnes  
Naides, et Latii <qui> Faunus <opaca pererrat>*<sup>22)</sup> etc.

In legendis verbis Grattii, vel ipsi per se saepe admodum obscuris artificioseque contortis, tum autem uno codice male habito satis misere traditis, non raro, cum scriptum non intellegas, merito haereas, utrum incommodum sententiae studio

20) Constat in ductu Merovingico, quo archetypum codicis Vindobonensis exaratum fuisse Vollmerus (praefat. p. 4) coniecit, litteram *a* hanc fere formam habere: *cc* (W. Wattenbach, *Anleitung zur lat. Paläographie*, Lips.<sup>3</sup> 1878, p. 35; E. M. Thompson, *An introduction to grand lat. palaeography*, Oxon. 1912, p. 356 sq., tab. 124 sq.; P. Lehmann, *Lat. Paläographie* [Gercke-Norden I 10], Lips. 1925, p. 60); quin ipse Vollmerus (ibid. adn. 3) de versu Ovidii q. f. Halieut. 3 monuit, ubi idem librarius pro voce *tenera* primum *tenerco* descripserat, tum animadverso errore correxit; conferatur praeterea L. Havet, *Manuel de critique verbale*, Paris. 1911, p. 164 § 646. Porro illud *cc* ab eo quod est *ce* non longe abesse neminem fugit (Havet p. 163 §§ 639—642). Denique litterae *n* et *r* etsi in scriptura Merovingica non tam inter se similes sunt quam in Hibernica (Wattenbach p. 48), at quandam ibi quoque similitudinem habent.

21) Sive adeo *numine*, quae coniectura non improbabilis in codice Ambrosiano est teste Postgatio.

22) Vel *frequentat* vel simile.

tenebrarum poetae proprio an singularum vocum corruptelis an denique iacturis integrorum versuum rectius imputes. Nec facile est in hac re errorem vitare, siquidem ipse Vollmerus, traditorum verborum tenacissimus editor, unam lacunam<sup>23)</sup> signavit, quam nullam esse interim Herterus<sup>24)</sup> egregie ostendit. Mihi autem in contrariam quoque partem Vollmerum interdum erravisse persuasum est. Velut inde a versu quinquagesimo Grattius praecipit, ut venator diligenter caveat, ne retia madeant; quod si forte acciderit, ad flatum aquilonis vel fumum siccanda suspendantur. Sequitur breve caput, ubi docemur ob eandem causam, scilicet quia fibra lini umore dissolvitur, siccitate confirmatur, linum ex agro non ante fervidissimum tempus anni demeti oportere:

- 57 *Idcirco et primas linorum tangere messes  
ante vetant, quam maturis accenderit annum  
ignibus et claro Plias se prompserit ortu.*  
60 *Imbiberit: tanto respondet longior usu.*

Hic quomodo versus 59 et 60 deinceps scripti sunt, balbutientis oratio est, non poetae quamvis obscuri. Quod cum iam diu intellectum esset, non probo, quod novissimi editores iam nullum defectum agnoscere maluerunt, Enkium dico ducemque eius Vollmerum, qui haec adnotavit: „*imbiberit* A scil. linum ignes...; nolui cum Titio<sup>25)</sup> lacunam ante v. 60 indicare“. Saniore iudicio Radermacherus<sup>26)</sup> hanc fere sententiam fuisse censet, uno versu omisso obscuratam: „<quo plus caloris eo tempore linum> *imbiberit, tanto*“ etc. Quod propositum examinantem me non tam movet levis inconcinnitas periodi a Radermachero hoc modo informatae: *Quo ... imbiberit, ... respondet* (ubi futurum *respondebit* pedestris sermonis consuetudo requirebat, qua poeta supersedere potuit), quam manifesta similitudo trium formarum verbalium, quae in versibus 58-60 obviae sunt: *accenderit—prompserit—imbiberit*. Haec si deinceps posita consideres, ad unam et eandem periodum olim pertinuisse facile mecum suspicaberis; quae eadem ratio obstat, quominus Burmanno Postgatioque accedam de versu sexagesimo in alium locum traiciendo cogitanti-

23) post v. 72.

24) p. 369.

25) apud Burmannum.

26) p. 628.

bus<sup>27)</sup>. Iam quandoquidem elaborata quam adumbrata plus docent, tum autem proverbio vernaculo unicuique permissum est, ut ipse se tam probe traducat, quam possit, non recusabo, quin in ipsas radices Parnassi egressus verbis numero astrictis id significem saltem, quod poetam melius ornatusque dixisse arbitror:

59 ... et claro Plias se prompserit ortu  
 <solis et aestivum bene torrida fibra calorem>  
 imbiberit:

Possis alteram partem versiculi etiam ad hoc exemplum conformare: *modo caulis adulta calorem*; possunt alia quoque excogitari. Sed quod pro subiecto huius incisi aut *fibram* aut *caulem*, feminini generis voces, potius quam *linum*, quod Radermacherus proposuerat, esse volui, non temere factum est. Vide quae Vollmerus ad extremam partem versus 60 adnotaverit: „*usus* recte Sann(azarius): *usu* A, at *longior* non potest referri ad *linum*“. Dubium non est, quin Vollmerus fieri posse putaverit, si modo illud *imbiberit* ad subiectum masculini vel feminini generis pertineret, ut tradita forma huius versus conservaretur, hoc videlicet sensu (nam aliud non video): ‘tanto diutius (fibra) usui par est’. Ac profecto neque hic liberior usus vocis *respondendi* a consuetudine poetarum abhorret<sup>28)</sup> et adiectivum *longior*, ubi ad *fibram* vel *caulem* referri poterit, fortasse idoneum explicatum nanciscetur, sive pro adverbio quod est ‘longius’ (i. e. diutius) usurpatum dicas, sive reminiscaris Silium Italicum<sup>29)</sup> *longa cognomina* pro ‘diuturnis’, ‘diu usitatis’ posuisse.

Alterum locum statim cum supplemento nostro scribam. Grattius postquam praecepit, ne qua alia re catuli deliculi nisi lacte et maza alerentur, quo minus luxu corrumpentur, iam transitum parat ad longiorem digressionem, in luxuriam hominum declamaturus priscorumque Romanorum frugalitatem laudaturus:

<sup>27)</sup> „Post 56“, inquit Postgatus; idem, ut opinor, senserat Burmannus, in cuius editione quod „post 50“ impressum est, non mendum esse non potest. Sed ne post sextum et quinquagesimum quidem versum idoneus locus mihi videtur esse.

<sup>28)</sup> Hor. epi. II 2, 48 *arma Caesaris Augusti non responsura lacertis*, ubi Heinzius (1914): „*die nicht standhalten sollten*“.

<sup>29)</sup> I 89; consule Rupertium (1795) ad locum.

- 308 *Nec luxus alios avidaeque impendia vitae (catuli)  
noscant: haec magno rediv indulgentia damno.*  
310 *Nec mirum: humanos non est magis altera sensus  
<debilitare<sup>30)  
311 *tollit se Ratio et vitii adeuntibus obstat.*</sup>*

*Ratio* se tollit sive exoritur tamquam armatus miles ad propugnandum paratus, non multo aliter atque eadem *Ratio* hominibus *socia rebus gerendis* adfuit<sup>31)</sup>. Burmannus optime ad illud Persii<sup>32)</sup> relegavit: *stat contra Ratio*. Lacunam recte signavit Baehrensius, cui Postgatus accessit; quod cum nollet Vollmerus, in traditis verbis explicandis mirifice se torsit, ut in adnotatione eius apparet<sup>33)</sup>, nihilo autem magis facere potuit, quin uno certe loco a memoria discederet, cum in versu 311, Graevio auctore, *ni* pro illo se imprimi iussit<sup>34)</sup>. Denique eorum, qui pluribus locis tradita verba sollicitaverunt, conata percensere non attinet.

Iam ubi venatori ex fetu multiplici unus catulus eligendus erit, qui, cum adoleverit, *metagon*<sup>35)</sup> fiat, eum sumi Grattius iubet, qui iam prima aetate se fratribus suis superiorem esse manifesto significet. Hic crit is, qui

- 293 *adfectat materna regna sub alvo,  
ubera tota tenet, a tergo liber aperto,*  
295 *dum tepida indulget terris clementia mundi;  
verum ubi caurino perstrinxit frigore vesper,  
ire placet turbaque potens aperitur inerti.*

Ergo hic catulus interdium<sup>36)</sup> lactens nullum e fratribus dorso suo iunctum esse patitur, contra vesperi, ne algeat, medium inter fratres locum obtinet. Et die igitur et nocte eum, qui pro tempore optimus sit, locum occupat. Quod cum signum

30) Possis etiam *infirmare, enervare, corrupisse, infregisse* vel simile.

31) v. 6.

32) 5, 96.

33) Cf. etiam Musée Belge 2 (1898) 235 sq.

34) Eandem *ni* coniunctionem, conservato *se* pronomine, post illud *vitii* inseri maluit J. Ziehenus, huius Mus. 53 (1898) 270; quo hyperbaton instituitur durissimum.

35) *Leithund*.

36) Accedo Vollmero ad v. 295. Sequitur, ut *vesperum* (296) *vespertinum* tempus diei interpreter cum Titio, Vollmero, Damsteo (p. 303). invitis Sternio Enkioque, qui 'occidentem' intellegunt.

virtutis huius catuli Grattius esse velit, videlicet existimat — in qua re ei facile assentiamur — de utroque eorum locorum nostro catulo, antequam eo perveniret, cum fratribus suis pugnandum fuisse. Nam fratres quoque frigus moleste ferunt, quo fit, ut ipsi noctu medii esse velint, si modo *inertes* id obtinere possint. Quae res mire fefellit Vlitium<sup>37)</sup> omnesque fere ante Vollmerum<sup>38)</sup> editores, qui hanc Vlitii coniecturam acceperunt: (297) *ira iacet*, quasi vero fortissimus ille catulus, postquam interdium optimum sub ipso matris ubere locum victoriae praemium tulit, sub vesperum iam remisso pugnandi studio a fratribus „tegi se patiat<sup>39)</sup>“. Aptius Radermacherus<sup>40)</sup> coniecit: *irreptat*. Me autem iudice illud *ire placet*, quod in libris est, sententiae tam egregie convenit, ut lacunae suspicio, quam neminem adhuc movisse video, tantum non certa sit. Supplementum eiusmodi institui, ut simul verbo *perstringendi*<sup>41)</sup> idoneum obiectum acquireretur, quamquam fieri potuisse concedo, ut pro obiecto aut *terrae* ex versu 295 aut ipse catulus intellegeretur:

296 *verum ubi caurino perstrinxit frigore vesper*  
 <*umbrosos calles*<sup>42)</sup>, *iam densa sub agmina fratrum*>  
*ire placet, turbaque potens operitur inerti.*

Additurus eram unum Grattii locum, quem falsa interpunctione laborare viderem, qui est de equis Chaoniis aliisque, cum rem a Postgatio<sup>43)</sup> iam dudum recte administratam

37) Autores rei venaticae . . . cum commentariis Jani Vlitii, Lugd. Bat. 1653.

38) Qui quae de loco, quem tractamus, in Mus. Belg. 2 (1898) 235 dissernerat, in editione ipse tacitus omisit.

39) Verba sunt Wernsdorfii; similiter iam Vlitius.

40) apud Vollmerum in apparatu.

41) *Perstrinxit* idem fere quod 'tetigit', 'icit' esse opinor, sicut 'horror perstringit aliquem' est apud Livium aliosque (Thesaur. *horror* 3000, 2). Num *perstringere* etiam pro 'congelando' adhibeatur (sicut saepe *astringere*, *constringere*), non facile diiudicatur; nam apud Ammianum 22, 8, 48 Clarkius *praestringitur gelu* maluit quam *perstringitur*, quod *BG* habent; quod autem testimonium a Georgesio s. v. *perstringo* I affertur: „*ubi perstrinxit rigore vesper*, Calp.“, non est in operibus Calpurniorum aut Siculi aut Flacci, sed miro errore ex eo, quem tractamus, loco Grattii depravatum videtur.

42) Homerī σκιδωντό τε πᾶσαι ἀρτιαί imitari studui. Possunt alia excogitari. Hexametrum institui, qualis est Grattii v. 252.

43) Citavi supra adn. 4.

statimque ab Housmano<sup>44)</sup> quoque probatam esse cognovi. Hanc distinctionem unice veram postquam nescio quibus de causis Vollmerus Enkiusque spreverunt, significare utile duxi quae esset:

530 *Quis Chaonia*⟨*m*⟩<sup>45)</sup> *contendere contra  
ausit? Vix, merita quos signat Achaia palma,  
spadices, vix Pellaei valere Cerauni.*

Intellege: Spadices et Cerauni vix ad hoc faciendum valuerunt, scilicet ut contra equos Chaoniae contenderent.

## II. IN GERMANICUM

Arati Phaenomena a Germanico Caesare Latine versa etiam post luculentam Breysigii<sup>46)</sup> operam aliquot mendis laborare cum iam diu animadversum sit, uno saltem exemplo ostendam ne eum quidem, qui se et huius et similium operum vel acutissimum acerrimumque censorem praebuerit, Housmanum<sup>47)</sup> dico, omnes, quos retractaverit, locos probabiliter expeditisse.

Dimensio zodiaci quinque versibus exponitur ob quasdam causas suspectis, qui tamen Germanico indigni forsitan non videantur<sup>48)</sup>. Quos a Grotio emendatos tales Breysigius exhibet:

526 *In sex signiferum si quis dividerit orbem  
aequalis partes, succumbet regula binis  
inferior signis spatii tantumque tenebit  
una, sui lateris quantum a tellure recedit;*  
530 *nec tamen humanos visus fugit ultimus orbis.*

Quattuor primi versus, quos Housmanus<sup>49)</sup> solos respexit, si ad summam spectes, planam perspicuamque continent sententiam: Si quis zodiacum in sex aequales partes dividerit, singula latera eius, quod hoc modo oritur, sexanguli sub bina

44) Classical Review 14 (1900) 465.

45) Addidit Schenkelius; Postgatus cum Aldina *Chaonias* maluit.

46) Germanici Caesaris Aratea iterum ed. A. Breysig, Lips. 1899.

47) A. E. Housman, The Aratea of Germanicus, Class. Review 14 (1900) 26 sqq.

48) Consule Breysigium in adnotatione et praefat. p. XXV sq. et Housmanum p. 33.

49) p. 33.

signa zodiaci succedent<sup>50)</sup>, et unumquodque horum laterum eiusdem longitudinis erit atque radius zodiaci, qui radius scilicet pertinet ab oculo hominis, quod centrum est, ad circumferentiam zodiaci i. e. a terra ad caelum. Tenendum autem est id, quod Housmanus post alios recte observavit, et *latus*<sup>51)</sup> et *regulam*<sup>52)</sup> apud Germanicum 'directam lineam' significare. His ita constitutis iam immane quantum friget versus 530, de quo haec Grotius in commentario<sup>53)</sup>: „Versus mihi videtur ἀπροσδιόνυσος, aut necesse est Germanicum admodum male intellexisse illum Arati versum<sup>54)</sup> ὄσσον δ' ὀφθαλμοῖο βολῆς ἀποτείνεται αὐγῆ“. Me autem si audias, corrupto non tam iudicio quam libro Germanicus usus est. Etenim in nostris quoque codicibus haec illius versus forma, quam perversam esse Maassius<sup>55)</sup> ostendit, fere obtinuit: ὄσσον δ' ὀφθαλμοῖο βολῆς ἀποτέμνεται αὐγῆ. Haec — post alios, ut opinor<sup>56)</sup> — Sporus<sup>57)</sup> ita expedire conatus est, quasi Aratus, cum radius zodiaci hoc scilicet modo definiendus esset: 'quantum obtutus ab oculo ad caelum extenditur', eum sic definire maluisset, perinde ac si id accuratius esset: 'quantum obtutus extenditur ab oculo ad eum locum caeli, quem ultra prospicere propter candorem aetheris non licet'. Sporum autem, ut Grotius<sup>58)</sup> vidit, Avienus<sup>59)</sup> secutus est, cum scripsit:

50) In v. 528 illud *inferior* abundanter positum dixerim ad eam notionem, quae in praeverbio *subcumbet* est, augendam.

51) Cf. v. 188.

52) Cf. v. 191.

53) Hug. Grotii Syntagma Arateorum, Lugd. Bat. 1600 (notar. ad Germanic. p. 19).

54) 541.

55) 'Arateorum' (Philol. Unters. hrsg. v. Kiessling-Wilamowitz 12, Berol. 1892) p. 96.

56) Nam Sporus, de cuius aetate non satis constat, vix ante Germanicum fuit; cf. Gudemanum RE s. v. *Sporos* col. 1879 sq.

57) Schol. Arat. 445, 25 sqq. (Maass.) ὁ Σπόρος οὕτω φησὶν· ὄσσον δὲ τῆς ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ βολίδος τῆς ἀκτίνος ἀποτέμνεται καὶ ἀφαιρεῖται ἡ αὐγῆ τοῦ αἰθέρος, ἐξάκις ἂν τοσαύτη <ῆ> ἀκτὶς ὑποδράμοι τὸν ζωδιακὸν ἀπηρτισμένον.

58) in Syntagmate, not. ad Arat. p. 11.

59) Avieni Arat. 1038 sqq. — Dubito de Manilio, qui in congruenti loco (I 552 sqq.) haec habet: *Hinc igitur quodcumque supra te suspicis ipse, (553) qua per inane meant oculi quaque ire recussant, binis aequandum est signis* etc. Haec aliquo modo ad eam, quam tractamus, quaestionem pertinere persuasum habeo. Sed quae in versu 553 sunt, si modo is versus sic recte restitutus est (nam libri paululum variant), vix, ut opinor, ita accipi possunt, ut cum Avieno conveniant: 'quantum oculi per inane meant, donec ultra meare iam non possunt'.

*Medio de tramite si quis dirigat obtutus agilis procul hosque locorum defessos longo spatio tener amputet aer: id, quod contenti visus abscinditur, ultro si qui in signiferi patulum circumferat orbem, sex olli partis magnae dabit ambitus orae. Eandem fere sententiam in verbis Germanici reperimus distinctione tantummodo mutata:*

529 *quantum a tellure recedit,  
nec tamen humanos visus fugit, ultimus orbis,*

i. e. 'quantum ultimus orbis a terra ita distat, ut etiamnunc cerni possit'. Itaque cum *ultimus orbis* utriusque eorum verborum, quae sunt *recedit* et *fugit*, pro subiecto sit, patet Housmanum<sup>60)</sup> non recte coniecisse, cum neglecto versu 530 aliud substantivum, quod ipse fabricaverat, verbo *recedendi* subiecti loco addebat hoc modo: *lunatus lateris quantum a tellure recedit*<sup>61)</sup>.

Reliqua iam minus certa sunt. Nam manet ea interpretationis difficultas, quam Housmanus parum feliciter tollebat, quae inest in verbis *spatii . . . lateris*. Haec verba quomodo inter se cohaerere atque unum et integrum incisum efficere eo veri simile fit, quod in eo enuntiato relativo, quod inde a voce *quantum* usque ad finem versus 530 pertinere supra docuimus, nulla idonea vox reperitur, unde genitivus *lateris* pendere possit<sup>62)</sup>. Quo fit, ut improbem, quod omnes fere editores<sup>63)</sup>, quos quidem consulere mihi licuerit, haec sic interpunxerunt: *una, sui lateris quantum* etc. Porro si memoriam huius loci examines, haec est in secundo ordine codicum (Z): *spatii tantumque tenebit*

Immo contraria potius inest sententia: 'quaque oculi meant quaque iam non meant', h. e. 'quodcumque inter oculum et caelum spatii est, sive id oculi penetrant sive non penetrant'. Eum igitur audire videor, qui doctrinae Spori (et Avieni) obloquatur. Et profecto haec doctrina, praesertim cum in falsa lectione niteretur, reclamatio digna erat. Sed in scholiis Arateis nihil eiusmodi repperi.

<sup>60)</sup> p. 33.

<sup>61)</sup> Idem cadit in Breysigium, qui praefat. p. XXVI haec proposuit: *una sui, radius quantum* etc.

<sup>62)</sup> Nisi forte illa *lateris quantum* hac ratione cohaerere posse censeas: *quantum lateris a tellure recedit ultimus orbis*: „soweit der Himmel in gerader Linie von der Erde entfernt ist“. Quam sententiam sic Latine enuntiare posse aegerrime crediderim.

<sup>63)</sup> Etiam ipse Grotius in Syntagmate, not. ad Germ. p. 19. Sed apud eundem in textu Germanici p. 88, ubi tradita verba nondum castigata exhibentur, melius est: *Una suis lateris, quantum*.

*una suis lateris*, cum in priore ordine (*O*) *spatii* (*P*) vel *pati* (*A*) et *tui* scripta sint: unde Grotius vulgatam lectionem quae est *spatii* . . . *sui* concinnavit. Sententia fere eadem est, sive cum illis libris intellegas: ‘una regula spatio suo tantum lateris tenebit’, sive cum his, sicut a Grotio castigati sunt: ‘una regula tantum spatii lateris sui tenebit’. Difficultatem in eo versari apparet, quod, ut paulo ante disserui, synonyma nomina sunt *regula* et *latus*. Quod etsi non omni modo et ubique verum esse contendas, at constat *regulam* proprie *latus tenere* sive habere non posse, cum potius ipsa *latus* sit. Sed admonendi sumus id, quod Housmanus alibi<sup>64)</sup> multis exemplis confirmavit, poetas Romanos interdum pronomini personalis reflexivi loco nomen substantivum ponere maluisse, quod cum subiecto enuntiati cognomine esset; velut Propertium<sup>65)</sup>, ubi dicendum esset ‘navem Argo se scopulis applicuisse’, hunc sensum sic enuntiavisse: *Argon* . . . *scopulis adplicuisse ratem*. Quae poetarum consuetudo cum satis explorata sit, nescio an nobis usui esse possit ad ea rectius aestimanda, quae aut tradita aut paene tradita sunt. Nam cum hic sensus utique desideretur: ‘una regula (i. e. unum latus sexanguli) tantum spatium habebit’, credo fieri potuisse, ut Germanico placeret id ita enuntiari, ut notio pronomini reflexivi inferretur, tamquam si pedestri sermone dicas: ‘tantum sui spatium habebit’; tum autem secundum morem illum poeticum pronomini reflexivo quod est ‘sui’ substantivum cognomine substitueretur hoc modo: ‘tantum spatium (sive adeo *spatii*<sup>66)</sup>, nam idem est) lateris sui habebit’.

64) Ad Manil. I 539 et IV 472 et 644 et Lucan. I 102; cf. etiam Vollmerum ad Statii Silv. III 2, 3.

65) I 20, 17—20.

66) Volo igitur genetivum partitivum qui est *spatii* a voce *tantum* pendere, tum autem haec *sui lateris* ita ad illud *spatii* pertinere, ut structura possessiva sit ‘spatium sui lateris’, quasi Germanice dicas: „*die Linie hat soviel an Seitenlänge*“. Illud *sui* ne scrupulum inicit, moneo e multitudine exemplorum ab Housmano congestorum certe unum ita comparatum esse, ut ei nomini, quod vice pronomini personalis reflexivi fungitur, etiam pronomem possessivum reflexivum adiectum sit: Manil. III 495 sq. *numerus* . . . *qua* . . . *in parte sua m summam nomenque* (Huetius, Housmanus; *numerique* codd.) *relinquet*, ubi sensus est: qua in parte ‘ipse se relinquet’ i. e. deficiet numerus. Nam Dirarum pseudovergilianarum versus 48 *unda*, *quae vestris pulsatis litora lymphis* paulo aliter se habet, quoniam nomina *undarum* et *lymphae* non prorsus cognominia sunt, sed rationaliter dici potest *unda* *lymphas* habere vel continere. Denique quoniam ipse Germanicus locupletissimus scilicet nobis testis esset, moneo in eius versu 144 *ignis* . . . *clunibus hirsutis* (Ursae

Vides me hanc, quam temptavi, explanationem ad lectionem Grotii accommodavisse. Sed apparet simili modo ea verba, quae in *Z* sunt, expediri posse<sup>67)</sup>. Nam utrius codicum ordinis lectio potior habenda sit, in re incertissima diiudicare non audeo.

Subiungo nonnullos locos, quos paucis verbis tractare satis est:

589 *Cum primum Cancrum Tethys emittit in auras. . . .*

592 *mergitur in totos umeros Ophiuchus et Anguis*

593 *ultima cauda micat, tortus habet illa timendos.*

Quattuor extrema verba „explicationem sententiae praecedentis“ continere Breysigius<sup>68)</sup> haud facile cuiquam persuadebit. Nam ut mittam, quam futilis et frigida haec explicatio esset: dubium non est, quin Germanicus hic, id quod saepius fecit, Aratum, qui tum nihil praeter caput Anguis occidere contenderat<sup>69)</sup>, ex doctrina astrologorum emendaverit, si quidem haec sunt apud Hipparchum<sup>70)</sup>: Τοῦ δὲ Ὀφειως, ὃν ἔχει ὁ Ὀφιοῦχος, ἡ οὐρὰ μόνον ὑπὲρ γῆς ἐστίν, ὡς ὁ Εὐδοξὸς φησίν, καὶ οὐχ ἡ κεφαλὴ (μόνον δέδουκεν), ὡς ὁ Ἄρατος. Quod cum intellexisset, Maybaumius<sup>71)</sup> coniecit: *tortus latet illa timendos*. Nos eundem sensum simpliciore ratione proferri arbitramur, si scribatur:

*tortus habet u n d a timendos.*

612 *Accipe, quae vitent exortae<sup>72)</sup> Virginis ora:*

*Delphinus motis iam tum defluserit<sup>73)</sup> undis*

*et Lyra dulce sonans et flammis cincta Sagitta*

615 *et niveus Cygnus properarit tangere fluctus;*

*utraque penna volans caudam vix lucet ad ipsam.*

maioris) . . . *qui sua sidera reddit* (quem versus Housmanus ad Manil. I 539 recte attulit, quia *ignis* et *sidera* eadem sunt) pronomen quod est *sua* potius ad *clunes* quam ad *ignem* spectare, cum hic sensus esse videatur: ‘ea stella, quae facit, ut etiam clunes Ursae suam stellam habeant’.

<sup>67)</sup> Ubi verba *suis spatiis* instrumentali, quae vocatur, ratione pertinent ad *tenebit* i. e. ‘occupabit’, et *tantum lateris* cohaerent, velut si quis dicere velit: ‘una directa linea tantum ipsa sui habebit’ pro his: ‘tantum longitudinis habebit’. Sic in pronomine possessivo reflexivo iam non erit ea difficultas, quam superiore adnotatione tractavimus.

<sup>68)</sup> praefat. p. XXVII.

<sup>69)</sup> v. 578.

<sup>70)</sup> Hipparch. in Arat. et Eudox. II 2, 10.

<sup>71)</sup> Io. Maybaum, De Cicerone et Germanico Arati interpretibus, diss. Rostoch. 1889, p. 45.

<sup>72)</sup> Burmannus; *exorsae* libri.

<sup>73)</sup> Grotius; *deflexerit* libri.

Haec sicut in vetustioribus editionibus<sup>74)</sup> tantummodo in extremo versu 615 leviter interpuncta feruntur, intellegi posse iure negavit Ellisius<sup>75)</sup>. „Quomodo enim“, inquit, „pennae extentae possint lucere in extremitate *caudae*?“ De sententia, si ad summam spectes, nulla potest esse dubitatio, quoniam plana et perspicua verba Arati<sup>76a)</sup> sunt: σύν τοῖς ὄρνιθος πρῶτα πτερὰ μέσφα παρ' αὐτὴν οὐρὴν . . . σκιάωνται. Sed quod Ellisius σχῆμα καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος proponit, ut Germanicus tamquam duplicato subiecto sic scripserit: *et niveus Cygnus properarit tangere fluctus, utraque penna volans; caudam* etc.<sup>76b)</sup>, id nimis incredibile est. Credit tamen Breysigius, id unum novans, quod verba quae sunt *utraque penna volans* uncinis includere maluit. Et parenthesis agnoscendam esse mihi quoque persuasum est, sed hoc modo:

615 *et niveus Cygnus — properarit tangere fluctus  
utraque penna volans — caudam vix lucet ad*<sup>77)</sup> *ipsam.*

Haec structura ne prius intellegeretur, obstabat forma verbi *properarit*, quae cum illo *defluxerit*<sup>78)</sup> tantopere conspire videbatur, ut nemo priorum editorum dubitaret, quin oratio sic cohaereret: *Delphinus . . defluxerit . . et . . Cygnus properarit*. Sed huiusmodi indiciis ut necessario plerumque utimur in criticis disputationibus<sup>79)</sup>, ita interdum animos nostros falli vix opus est monere. Apparet igitur hunc sensum esse: ‘et Cygnus tantummodo caudâ lucet, nam ambae eius alae iam antea undis mergi properaverint’.

Notissimum illud duorum Piscium sidus cum oritur, tertius quoque Piscis conspicuus fit, qui quoniam magis ad meridiem positus est, νότιος<sup>80)</sup> sive austrinus vocatur, — οὐ μὲν ἄδην, ὀλίγον δὲ δυωδεκάδ' ἀμμένει ἄλλην<sup>81)</sup>. Quae potissimum

<sup>74)</sup> Quarum postremam appello Baehrensii Poet. Lat. min. I (Lips. 1879).

<sup>75)</sup> ‘Noctium Manilianarum’ (Oxon. 1891) p. 239.

<sup>76a)</sup> v. 599 sq.

<sup>76b)</sup> Adnotavit: “Nimirum totius subiecti *cygnus* pars est *penna*“.

<sup>77)</sup> Ope ad praepositionis ea pars sideris designatur, quae sola cernitur. Item 637 *et Chiron pius ad caudam cognoscitur imam*, nam αὐτὴν ἔσχατον οὐρὴν Κενταύρου primam oriri Aratus (625 sq.) censebat, quem errorem castigavit Hipparchus in Arat. et Eudox. II 2, 47.

<sup>78)</sup> v. 613.

<sup>79)</sup> Velut nosmet paulo ante fecimus p. 205.

<sup>80)</sup> Arat. 388.

<sup>81)</sup> Arat. 703.

illa 'exigua pars' Piscis austrini esset, quae 'aliam duodecimam partem zodiaci exspectaret', i. e. demum simul cum Ariete oreretur, id, si quid video, accuratius definire Germanicus voluit. Est autem caput, nam hoc ultimum oritur<sup>82</sup>). Itaque non dubito Germanici locum sic emendare:

702 *Piscibus ille simul surgit, sed liberat ora,  
cum pernix Aries in caelum cornua tollit.*

Etenim quod traditum est *liberat ortus*, difficilem explicationem habet. *Liberandi* verbo semel paulo ante Germanicus usus est, cum scripsit<sup>83</sup>): *totum se liberat Hydrus*, i. e. totus oritur cum Scorpio, postquam orientibus Chelis (i. e. Libra) tantummodo superior pars Hydri *cauda minus*<sup>84</sup>) apparuit. Cum hac structura quae est *se liberat* bene congruit illud, quod proposuimus, *liberat ora*, siquidem utrobique aut ipsum sidus aut certe pars eius<sup>85</sup>), utique autem res corporea pro obiecto est. *Ortus autem liberare*, etiamsi hic quoque rem corpoream obiecti loco intellegere coneris<sup>86</sup>), dici potuisse versimile non est<sup>87</sup>).

In quarto fragmento Germanici duos locos perversa interpunctione laborare cum sensissem, horum alterum postmodo intellexi iam fere ab Orellio<sup>88</sup>) recte distinctum esse, perscribere autem ideo utile duco, quia vera interpretatio etiam Krollium fefellit. Nam dum ille vir doctissimus<sup>89</sup>) nullum praesagium de Sagittario fieri conqueritur obque eam causam aut post versum 157 lacunae signum poni aut in versu

82) Hipparch. in Arat. et Eudox. III 1, 7 de Pisce austrino: καὶ πρῶτος μὲν ἀστὴρ ἀνατέλλει ὁ βορειότερος τῶν ἐν τῇ οὐρᾷ, ἔσχατος δὲ ὁ ἐν ἄκρῳ τῷ ῥύγχει λαμπρός.

83) v. 668.

84) v. 626.

85) *Totum se liberat* fere idem esse dicas atque 'extremam sui partem liberat', h. e. caudam, quod ad Hydram, *ora* autem, quod ad Piscem attinet.

86) *Seinen Aufgangspunkt (am Himmel) freigegeben?* Nam aliud non video. Quid Grotius senserit, dum tradita verba conservat, ex adnotatione eius non apparet.

87) Cf. etiam 696 (de Centauro): *oceanus caudam tinguit, nondum capit ora.*

88) Qui Germanicum una cum Phaedro et Pervigilio Veneris edidit Turici? 1832; item distinxit Arminius Koehly in libro qui inscribitur 'Poetae bucolici et didactici', Paris. 1862.

89) Wochenschr. f. klass. Philol. 35 (1918) 309.

156 aliquid novari vult, non vidit sententiarum hunc ordinem esse:

- fr. IV, 151<sup>90)</sup> *Flatibus at gelidis miscet tranquilla serena  
spicifera dea nota (?) manu; nec Libra tenenti*<sup>91a)</sup>  
*dissentit divae, sed, ut haec, ventura serena  
nuntiat: a ventis cessat mare, cessat et aer.*
- 155 *Scorpios in pluvias rarus. Sed nubibus atris  
creber agit nimbos et saeva tonitrua portat,  
clara sagittiferi tetigit cum lumina signi.*

Pro communi subiecto verborum quae sunt *agit* et *tetigit* intellege Mercurium, de quo totum hoc caput est. Hic cum in Virgine aut Libra vespertinus versatur, serena fere tempestas est; cum in Scorpio, raro pluit; cum in Sagittario, nubes, imbres, tonitrua ostendit.

Idem Mercurius cum matutinus in Virgine est, mixtam ostendit tempestatem; cum in Libra et cum in Scorpio est, tantummodo pluit; cum in Centauro (i. e. Sagittario), praeter pluvias etiam turbines ventorum fiunt et grandinat; cum autem in Capricorno, aut saepius subito pluit aut fulget. Haec plana non fiunt nisi distinctione, quam in omnibus, quae quidem mihi praesto fuerint, editionibus parum recte administratam video, in hunc modum mutata:

- fr. IV, 125<sup>91b)</sup> *Templa sed Astraei simul ac possederit ignis,  
omnia mixta feret. Pluvias tantum modo Libra,  
Scorpios et pluvias meditabitur. Undique venti,  
undique grando venit, rumpuntur culmina nimbis,  
Centaury attigerit cum iam Cyllenius arcus.*
- 130 *Idem ubi consurget Capricorni sede biformis,  
aut subitos caelo deducet crebrius imbres  
fulminis aut iactu magnum perrumpet Olympon.*

### III. In Calpurnium Siculum

Principio eclogae sextae Astylus narrat Lycidae, paulo ante in illo loco, se iudice, Nyctilum et Alconem alternis carminibus certavisse, Alconem victorem abisse. Sequitur altercatio:

<sup>90)</sup> p. 55 ed. Breysig<sup>2</sup>.

<sup>91a)</sup> Housman, *Class. Review* 14 (1900) 38; *tendenti libri*.

<sup>91b)</sup> p. 53 ed. Breysig<sup>2</sup>.

LYC. (6—8) Non credibile est Nyctilum ab Alcone, homine rudi, cantando superatum esse.

AST. (9—11) Immo Alco Nyctilo tam arte quam forma longe praestat.

LYC. (12—16) Iam intellego tibi formam candidi Alconis arrisisse, Nyctili barbati displicuisse [obque eam causam illum a te victorem renuntiatum esse]; et profecto Alco, si modo canendo absteineat, facile pro Apolline haberi possit.

17 AST. *O Lycida, si quis tibi carminis usus inesset,  
tu quoque laudatum posses Alconam probare.*

LYC. *Vis igitur, quoniam nec nobis, improbe, par es,  
20 ipse tuos iudex calamos committere nostris?  
vis conferre manum? veniat licet arbiter Alcon.*

Moneo hoc ipso, quem exscripsimus, loco pastores primum in hac ecloga ad aperta convicia transire, cum inde a principio usque ad hunc locum sedatiore colloquio usi sint et, quid alter alteri opprobrio daret, malitiose quidem, sed tecte urbanis verbis significaverint. Iam hinc per totam reliquam partem carminis acerbissima iurgia exercent, ita tamen, ut multo procaciorum rixaeque cupidiorum ubique se Lycidas praebeat. Nam hic primam contumeliam dicit: *improbe*<sup>91c)</sup>, quam mox bis repetit<sup>92)</sup>, unde apparet Calpurnio curae fuisse, ut haec pars morum Lycidae legentibus manifesta fieret; idem primus atque adeo unus criminibus ad amorem remque veneniam spectantibus in adversarium utitur<sup>93)</sup>, cum Astylus nihil praeter artis musicae inscientiam in Lycida castiget; denique hic semper lacessit, ille aegre se defendit neque iniuria queritur: *non equidem possum, cum provocet iste, tacere*<sup>94)</sup>. Iam siquidem in colloquio, quod bene a scriptore vel poeta dispositum sit, ubicumque ratio eius colloqui mutatur, causam huius mutationis apparere oportet, allicit nos versus undevicesimus, ubi cum primam apertam contumeliam fieri intelleximus tum Astylum a Lycida ad certamen aut carminum aut pugnorum provocari videmus: si forte cognoscere possimus, qua de causa id aut faciat Lycidas aut certe facere se dicat. Et profecto ibi enuntiatum causale a voce *quoniam*

91c) v. 19.

92) vv. 25. 29.

93) vv. 12 sqq.; 76 sq., ut videtur; 83. sqq.

94) v. 78.



prius laesos esse contendant; id quod non sine iuris specie Lycidas facere potest, quia revera Astylus, quamvis modestis verbis usus, *carminis usum* a Lycida abiudicavit. Quo iudicio exasperatum Lycidam adversario hoc respondere opinor:

19 *Vis igitur, quoniam nec nobis, improbe, parci s* etc.,

h. e. quoniam non solum Nyctili<sup>95)</sup>, sed iam meam quoque artem vituperare audes<sup>96)</sup>. Restat, ut enumerem, quae comoda verbis poetae ita restitutis adepti simus: Iam hic versus aptissime cum superioribus cohaeret, atque eodem quidem plane modo, ut in exemplari Vergiliano sententiae supra exscriptae se excipiunt; iam ipsa quoque per se idonea ratio addi videtur, cur quis adversarium ad certamen provocet; iam denique et illud *nec* expeditum est et satis magna causa parata esse videtur, cur Lycidas, homo audax et irritabilis, missis ambagibus ad veras contumelias prorumpat.

#### IV. In Bucolicum Einsidlense II.

(Anthol. Lat. I 726)

Alterum eorum fragmentorum bucolicorum, quae primus Hagenus ex codice Einsidlensi protraxit, etiam in novissima editione<sup>97)</sup> nomine incredibiliter formato *Glycerani* conspurcatum lectitatur. Et profecto hanc formam — scilicet *GLICERAN* — in ipsa carminis inscriptione clare perscriptam exhibet codex, cuius imaginem lucis ope pictam Loeschius opusculo suo<sup>98)</sup> inserendam curavit. Has autem inscriptiones eclogarum Einsidlensium non a poeta sic profectas, sed posteriore demum aetate ex ipsis carminibus haustas esse cum ipsum per se verisimile est, siquidem alibi quoque id saepe factum videmus velut in memoria Plautina, tum Lucianus

95) vv. 9—11.

96) Ern. R a y n a u d dum in libello, qui inscribitur 'Poetae minores' (Paris. 1931), carmina et aliorum et Calpurnii plerumque satis audacter et negligenter interpretatur, hunc locum sic vertit (p. 93): «*Eh bien! puisqu'à ton sens je ne suis qu'un bêtête, ô mauvais juge, accepte mon défi*». Intellexerat igitur huiusmodi sententiam desiderari. Sed verba Latina ita, ut tradita sunt, imprimi iussit neque quicquam adnotavit.

97) Calpurnii et Nemesiani Bucolica iteratis curis edidit. Einsidlensia q. d. carmina adiecit Caesar G i a r r a t a n o, Augustae Taurinorum 1939.

98) Stephan L ö s c h, Die Einsiedler Gedichte. diss. Tubing. 1909.

Muellerus <sup>99)</sup> sagaciter conclusit ex inscriptione primae eclogae, ubi *MIDA* scriptum est, cum ex vocativo *Midā*, qui in primo versu est, appareat poetam pastorem suum Graeca huius nominis forma, quae est *Midas*, vocari voluisse. Quod cum ita sit, non dubitabimus, quin *Glycerani* quoque nomen ex septimo versu alterius eclogae sumptum sit. Hunc autem versum corruptela laborare iam diu perspectum est. Quod ut planius fiat, altius repetenda est argumentatio.

Pastor *Mystes*, ab altero (quem 'senem' appellare liceat, ne usque barbaro *Glycerani* nomine utendum sit) interrogatus, cur taceat, se magna quadam cura premi in universum significat, de causa eius nihil addit. Hanc ipsam causam cum alter scire cupiat, hoc colloquium incohatur <sup>100)</sup>:

4 SENEX *Non satis accipio. MY. Nec me iuvat omnia fari.*  
 5 SE. *Forsitan imposuit pecori lupus? MY. Haud timet hostes*  
*turba canum vigilans. SE. Vigiles quoque somnus adumbrat.*

Tum hoc est in codice per solita compendia scriptum:

7 MY. *Altius (est) glyceranę aliq(ui)d n(on) n(on) pat(er) erras.*

Sequitur:

8 SE. *Atquin turbari sine ventis non solet aequor.*

Iam inde a proximo versu *Mystes* aperire incipit, quae se cura vexet. Atque hoc probabiliter fieri apparet; nam si reputamus, quae sententia versus octavi sit, qua motum *Mysten* iam apertius loqui animadvertimus, haec est sine dubio: 'At nihil sine causa fit', igitur silentio quoque tuo certam causam subesse oportet. Quaeritur, quomodo haec sententia cum superioribus cohaereat. Atque si editores consulas, omnino non cohaeret; nam sic suo quisque arbitrio clausulam versus septimi, quam corruptam existimabant, restituere conati sunt <sup>101)</sup>:

*Altius est, Glycerane,*

*aliquid, non quod patet: erras* Baehrensius <sup>102)</sup>

*aliquid, non hoc, pater; erras* Riesius

*aliquid, non non patet, erras* Gundermannus <sup>103)</sup>

*aliquid; nec enim patet, erras* Giarratanus.

<sup>99)</sup> Berl. philol. Wochenschr. 1885, 1067.

<sup>100)</sup> De memoria horum versuum veriora referre moneo Giarratanum quam *Riesium* in Anthol. Lat. I 2 (Lips. 1906), p. 213.

<sup>101)</sup> Vide appendicem criticam Giarratani (p. 91).

<sup>102)</sup> Poet. Lat. min. III (Lips. 1881) p. 63.

<sup>103)</sup> Apud Loeschium p. 3.

Itaque his omnibus auctoribus colloquium sic decurrit: "MY. Non ista causa est, quam tu suspicaris, sed alia remotior. — SE. At nihil sine causa fit". Affirmat igitur senex et per oppositivam *atquin* particulam maxime contendit id, quod Mystes non modo non negaverat, sed ipse ultro concesserat. Quod cum ferri non possit, quivis videt flagitandum esse, ut ante ipsum versum octavum Mystes aliquid negaverit, quo illud *atquin* pertinere possit. Praeclare igitur haec se habent in codice, quae recte tradita esse mihi persuasi: (MY.) *Non, non, pater: erras.* — SE. *Atquin* etc. (eamque ob causam *Glyceranum* 'senem' vocare statui, quia hic *pater* appellatur). Sed apertum est<sup>104)</sup> orationem Mystae ab his ipsis verbis *Non non* etc. ordiendam esse. Sequitur primum, ut verba versus septimi proxime praecedentia senis sint; tum, ut senex his verbis aliam coniecturam elocutus sit, cur Mysten tristem esse censeret, postquam de lupo se falso coniecisse cognovit. Iam reminiscamur in ultima parte versus sexti senem in similem sententiam verba fecisse; ubi postquam Mystes se *canibus* fretum *lupos* non timere dixit, alter monet: '(At interdum) *vigiles* — canes opinor, ut *vigiles* adiectivum sit — *quoque somnus adumbrat*'. Itaque si tenemus et in extrema parte versus sexti et in media versus septimi orationem senis inesse, duobus modis hoc expedire licet: ut aut prima quoque pars versus septimi verba senis contineat; quod si sit, oporteat videlicet totam hanc senis orationem ad eandem sententiam, quae in ultima parte versus sexti est, pertinere, ut pluribus forsitan ille verbis exposuerit fieri posse, ut canes dormitarent. Sed hunc sensum ut in traditis verbis versus septimi dispiciat, nemini, ut opinor, continget. Quod cum ita sit, age examinemus, num verba quae sunt in versu septimo *Altius est*, id quod et librarius et omnes editores voluerunt, Mystae esse possint, ita tamen, ut in media eiusdem versus parte rursus verba senis intercedant. Sic verba versus septimi trifariam inter duas personas distributa erunt. Quod cum ab usu Vergilii maxime abhorreat, utpote qui ne inter duas quidem personas ullius unquam versus orationem dividerit<sup>105)</sup>, testis nobis ci-

<sup>104)</sup> Id ipsa natura horum verborum perspicue indicat. Hoc quo magis sentias, considera intolerabile ὑστερον πρότερον, quod Hagenus in prima horum carminum editione (Philolog. 28, 1869, 340) admisit, cum videlicet suo iure eclogas recens repertas cum viris doctis communicare magis properaret quam recensendi arte ad unguem perpolire studeret: MY. *Altius est, Glycerane, aliquid: non, non! pater, erras!*

<sup>105)</sup> In qua re Calpurnius eum secutus est.

tandus est Theocritus, qui non modo binas <sup>106)</sup>, sed etiam ternas interdum <sup>107)</sup> personas in eodem versu loquentes induxit. Iam si verba quae sunt *Altius est* Mystae reddere paramus, forsitan quispiam hoc eadem ratione reprehendat, qua nos paulo ante coniecturis Baehrensii, Riesii, aliorum oblocuti sumus, cum forte dicat, postquam Mystes causam suae taciturnitatis *altius* latere significaverit, iam non apte a sene inferri: 'At nihil sine causa fit'. Quod etsi quadamtenus verum est, tamen plurimum interesse apparet, utrum hae duae sententiae, cum altera alteri obstet, tamquam comminus conflictentur, ut est apud Baehrensium ceterosque, an nova interrogatione senis novoque Mystae responso separatae sint. Hanc autem novam senis interrogationem patet enucleandam esse ex ipsis verbis traditis quae sunt *gliceranē aliquid*, quae sola intercedunt inter haec duo responsa Mystae: *Altius est* et *Non, non, pater: erras*. Iam si reputamus, quid potissimum hoc loco senem a Myste quaesivisse consentaneum sit, multa quidem divinari possunt, neque quicquam certum videtur praeter hoc unum: tertiam senis interrogationem iam non ad *lupos* et *canes* pertinuisse. Etenim postquam Mystes declaravit *altius* esse id, quod se angeret, iam absurdum erat rursus de eadem aut simili re interrogare. Immo ipsa res ratioque evincit hanc tertiam senis interrogationem ad eam rem spectavisse, quae Mystae etiam magis cordi esset quam *pecus*. Nunc autem neminem fugit pastoribus, quales in carminibus bucolicis effinguntur, si ad summam spectes, duas res omnino curae esse: *pecus* et *amorem*. Quod cum ita sit, non dubito, quin ad *a m o r e m* Mystae senex in media parte versus septimi sermonem flexerit. Nec me movet, quod nimis spatii angustiis premi videmur, siquidem ad inferendam mentionem amoris tantum ea pars hexametri suppetit, quae duorum anapaestorum instar sit. Nam quod iam ipse Vergilius admiserat, ut figura reticentiae usus aliquam partem orationis personae bucolicae supprimeret <sup>108)</sup>, id anonymo Einsidlensi placere potuisse eo minus negabimus, quia hunc indolem mimicam carminis bucolici ultra fines a Vergilio praescriptos auxisse paulo ante intelleximus.

Iam ultimum argumentum repeto ab ipso nomine spectro *Glycerani*. Hunc qui Glycerinum esse maluit, ut saltem

<sup>106)</sup> Hoc anonymus Einsidlensis quater admisit: II 1. 4. 5. 6.

<sup>107)</sup> Theocr. 5, 66; 14, 2; 15, 3 et 60.

<sup>108)</sup> Verg. buc. 3, 9.

legibus linguae Graecae congruens nomen esset <sup>109</sup>), idem Wilamowitzius <sup>110</sup>) recte monuit poetas bucolicos Romanos, qui post Vergilium floruisse, nomina pastorum suorum non usque a Vergilio, sed interdum etiam ab Horatio sumpsisse. Id cum nomine *Ornyti*, quod in prima ecloga Calpurnii est, probare vellet, oblocutus est Wendelius <sup>111</sup>), qui ex Vergilio <sup>112</sup>) quam Horatio <sup>113</sup>) hoc nomen excerptum esse maluit. Sed manet alterum certius exemplum, nam *Mystes* puer est apud Horatium <sup>114</sup>) neque alibi usquam <sup>115</sup>). Nunc autem *Glyceranum* et *Glycerinum* in scriptis Horatii frustra scilicet quaeras. Ibidem si, quod simile saltem sit, nomen circumspicias, quater <sup>116</sup>) se offert *Glycera* <sup>117</sup>). Quam nobis usui fore spero, quoniam de amore Mystae sermonem incidere iam paulo ante suspicatus sumus. Conicio verba poetae haec fuisse <sup>118</sup>):

7 MY. *Altius est. SE. Glycerane aliquid —?*

MY. *Non, non, pater: erras.*

Vides me reticentiae figuram agnovisse, ut praedixeram. Cuius figurae usum in sermonibus ad res adversas, morbos, mortem pertinentibus vel maxime vigere non est quod moeam. Nam videlicet interrogaturus erat senex, num *Glycerae*

<sup>109</sup>) Quamquam mihi non contigit, ut nomen *Glycerini* usquam reperirem; nisi quod vir doctus de Ricci, Archiv f. Papyrusforsch. 2 (1903) p. 561 (nr. 97, 3) Νίτηρ Γλυκερίνου restituendum esse censuit, ubi charta habet: Γλυκερίνου.

<sup>110</sup>) Ind. lect. aest. Gotting. 1884, p. 6. Haec 'Coniectanea' in eiusdem Scriptis minoribus non insunt.

<sup>111</sup>) C. W e n d e l, De nominibus bucolicis, Jahrb. f. class. Philol., Suppl. 26 (1901) p. 57.

<sup>112</sup>) Aen. XI 677.

<sup>113</sup>) carm. III 9, 14.

<sup>114</sup>) carm. II 9, 10.

<sup>115</sup>) Quod Wendelius p. 60 hoc nomen ex deperdito libro alicuius fabularum scriptoris fluxisse mavult, futilis coniectura videtur.

<sup>116</sup>) carm. I 19, 5; 30, 3; 33, 2; III 19, 28.

<sup>117</sup>) Vix opus est monere, nomen *Glycerae* adeo vulgatum esse, ut id potissimum ab Horatio commodatum esse pro certo affirmari non possit; sicut aliorum quoque nominum, quae poeta Eiusidensis posuit, origo incerta manet: consule Wendelium p. 60. Tamen ad Horatium relegare tutius duxi.

<sup>118</sup>) Nescio an vestigium genuinae lectionis in scriptura codicis quae est *gliceranę* conservatum sit. Nam librarius ceteroqui per utrumque carmen semel dumtaxat litteram *ę* falso adhibuit: II 25 *ęcurus*; nunquam igitur in brevi *e* praeter illum locum, ubi *ę* in paenultima sede requirimus (*gliceręne*).

(amicae scilicet pastoris Mystae) *aliquid* a c c i d e r i t. Quod quam aptum sit, postquam pecus nihil detrimenti cepisse apparuerit, neminem, ut opinor, fugiet. Illa autem, quam statui, aposiopesis eo veri similior fit, quod Mystes seni interroganti tam acriter concitateque obloquitur, ut paene dici possit, eum verba senis interpellare.

Iam habes 'senem' a sordibus nominis barbari vindicatum. Qui utrum nullum unquam nomen habuerit, ut sine nomine est αἰπόλος in primo idyllio Theocriti, an habuerit, qui usus sine exceptione apud poetas bucolicos Romanos obtinet, haud facile diiudices. Sed magis equidem opinor nomen senis olim a poeta in illa maiore parte huius carminis scriptum fuisse, quae in fine interiit <sup>119</sup>). Quod si est, hinc quoque intellegitur, quam recentem originem et inscriptionum horum carminum et earum notarum, quibus vices personarum in ipsis versibus significantur, esse oporteat.

#### V. I N H E R C U L E M O E T A E U M

In poetis Latinis minoribus, immo minimis, is quoque habendus est, cui Herculis Oetaei, quae fabula S e n e c a e nomine inscripta fertur, multo maiorem partem debemus. Qui dum copiose, ut solet, artem Orphei in cantico celebrat, ipsum Charonem dulcedine vocis delentum obstupuisse cymbamque eius sponte sua adnavisse his verbis refert:

1072 *a u d i t o* quoque navita  
*inferni ratis aequoris*  
*nullo remigio venit.*

In his cum *audito* intellegi non posset, alii alia temptaverunt. Velut — nam omnes enumerare longum est — Birtio <sup>120</sup>), quem Leo in editione <sup>121</sup>) secutus est, hoc asyndeton placuit: *audis tu quoque. navita: inferni* etc., quod durissimum vocarem, nisi etiam durius esset hoc, quod auctore Koetschauio <sup>122</sup>) Peiperus Richterisque in editionem suam <sup>123</sup>) rettulerunt: *auditum quoque navita, inferni* etc. <sup>124</sup>). Qua in re praecipue

<sup>119</sup>) Memento in quarto idyllio Theocriti nomen Batti demum versu 41 enuntiari.

<sup>120</sup>) huius Mus. 34 (1879) 29.

<sup>121</sup>) Berol. 1879; item L. Herrmann, Paris. 1926.

<sup>122</sup>) Philolog. 61 (1902) 153 sq.

<sup>123</sup>) Lips. 2 1902.

<sup>124</sup>) Hoc. ut opinor, intellegi vult auctor huius coniecturae: 'auditum veniunt et nauta et ratis'.

miror Koetschauium contendere, quod in forma tradita ver-  
suum 1072—1074 sola *ratis* pro subiecto sit, id propterea minus  
bene esse, quia in insequenti enuntiato <sup>125)</sup> non res, sed homo  
(*Phrygius senex*) subiecti vice fungatur. Nam si quid omnino  
huiusmodi disputatione profici possit, ego potius ex duobus  
enuntiatibus proxime praecedentibus <sup>126)</sup>, ubi *rota* et *iecur* pro  
subiectis sint, effecerim bene se habere, quod in tertio quo-  
que enuntiato de re, non homine praedicetur; sine dubio enim  
haec tria, quae dixi, enuntiatia artius inter se cohaerent, cum  
quarta sententia, quae est de *Phrygio sene*, per verba quae  
sunt *Tunc primum* <sup>127)</sup> quasi novo impetu inferatur. Optime  
igitur, quod ad hanc quidem rem attinet, tradita forma sen-  
tentiae se habet, ubi *ratis*, atque ea sola, subiecti loco est. Sed  
quoniam, ut rectissime ait Gronovius <sup>128)</sup>, „non audiebatur  
Charon, sed Orpheus“, in priore parte sententiae aliquid mut-  
tandum videtur, ita tamen potissimum, ut non nova sententia  
cum novo subiecto nascatur. Quod autem ipse vir summus  
coniecit *attento quoque navita*, rei illud quidem egregie con-  
venit, sed a litteris traditis nimis longe abest. Itaque cum  
iam id nobis propositum esse videatur, ut eam vocem quaera-  
mus, quae et fere ‘attente audientem’ significet et cum ma-  
xima certe parte earum litterarum, quae sunt in *audito*, con-  
gruat, non inutile erit Horatium consulere, cuius carmina  
etiam genuinum Senecam maxime in canticis usquequaque  
imitatum esse constat. Is raro artem Orphei celebravit, sed  
semel his verbis usus <sup>129)</sup>: *blandum et auritas fidibus canoris  
ducere quercus*. Adiectivum *auritas* hoc loco *sensum audiendi  
habentes* significare, id quod et Pseudoacro et Servius <sup>130)</sup>  
affirmant, etsi veri simillimum est, tamen nonnulli recentiores  
Horatii interpretes <sup>131)</sup> ‘attente audientes’ accipere malue-  
runt. Idem auctor Herculis Octaei sensisse videtur, neque  
omnino temere ille quidem. Nam profecto hic quoque signi-

<sup>125)</sup> v. 1075 sqq.

<sup>126)</sup> v. 1068—1071; cf. editionem Leonis, nam a Peipero Richtero-  
que haec perturbata sunt.

<sup>127)</sup> v. 1075.

<sup>128)</sup> in editione Amstelodami a. 1682 emissa.

<sup>129)</sup> carm. I 12, 11 sq.

<sup>130)</sup> ad Verg. Georg. I 308.

<sup>131)</sup> Lucianus Mueller (Petrop. et Lips. 1900): „*lauschend*“, ad Asi-  
nariam provocans; Nauck-Weissenfels (Lips. 16 1905): „*aufhorchende*“.  
Sed Heinzius (Kiessling-Heinze, Berol. 7 1930) Servio accessit.

ficatus adiectivi quod est *auritus* suum testem habet: Plautum dico, qui in prologo *Asinariae* <sup>132)</sup> scripsit: *Face nunciam tu, praeco, omnem auritum populum*, i. e. attente audientem. Quae cum ita sint, conicio in loco, quem tractamus, olim scriptum fuisse:

1072 *Aurito quoque navita  
infernī ratis aequoris  
nullo remigio venit.*

Gissae

Andreas Thierfelder

---

## BEITRÄGE ZU APOLLONIOS VON RHODOS

---

I. Auf einem späten, jedoch nach hellenistischer Vorlage gearbeiteten Sarkophagrelief, das in einer Begräbnisstätte bei Ponticello nicht weit von der Basilika S. Paolo fuori le mura entdeckt und von M. Gütschow, *Röm. Mitt.* XLIII 1928, 256 ff. Taf. 27, veröffentlicht worden ist, findet sich Peleus mit Herakles, den Dioskuren und Tiphys in der Argo dargestellt, wie er von ferne den kleinen Achilleus begrüßt, den Cheiron am Ufer auf den Händen trägt. Eine sich etwas weiter vom Original entfernende Paralleldarstellung auf den Bronzebeschlägen der spätantoinischen Tensa Capitolina (Gütschow Abb. 4) war schon von F. Staehlin, ebd. XXI 1906, 337 f., unter Berufung auf die Schilderung des Apoll. Rhod. I 553 ff. richtig erklärt worden <sup>1)</sup>. Nach der Meinung Gütschows 262 ist das Sarkophagrelief „geradezu eine Illustration zu Apollonios“.

---

<sup>132)</sup> v. 4.

1) S. Reinach, *Répertoire de reliefs* I 1909, 376 ff. H. Stuart Jones, *A catalogue of the ancient sculptures preserved in the municipal collections of Rome, The sculptures of the Palazzo dei Conservatori*, Oxf. 1926, 179 ff. Taf. 68—73. W. Helbig, *Führer durch die öffentlichen Sammlungen klassischer Altertümer in Rom*<sup>3</sup>, Lpz. 1912/13 Nr. 966 (beschreibt unrichtig: „Cheiron reicht den Knaben dem zur Abfahrt bereiten Peleus“). Die ältere bildliche Überlieferung der Übergabe des Kindes oder Knaben Achilleus an Cheiron verfolgt K. Friis Johansen, *Δράγμα* M. P. Nilsson dedicatum, Lund 1939, 181 ff. (vgl. O. Weinreich, *Gnomon* XVI 1940, 394).